

160

LXXII. in excerpt. Valeſian. p. 727. 728., cujus locum, membratim laudatum, integrum exhibeo. *Aufidio Victorino, qui Praefectus Urbis fuerat, mortuo statua poſita eſt. Deceſſit autem non ex inſidiis ille quidem; tametsi quum crebri quotidie rumores de ejus cade vulgarentur, ipse aliquando sumpta audacia ad Perennem ulro venisset; & audio, inquit, vobis in animo eſſe, me ut occidatis; quid igitur cunctamini? quid differtis, quum id vobis hodierno die jam liceat? Verum tamen id quoque ei ceſſit impune: obiit enim ſua morte, quamvis a Diſco Marco unice cultus, & virtute, atque eloquentia nulli ſui temporis ſecundus fuiſſet. Ex uno autem, atque altero exemplo ejus viri mores cognoſcere facillimum fuerit. Quum aliquando Germaniae praefectus, primo quidem domi remotis arbitris conatus eſt perſuadere legato ſuo, ut a capiendis muneribus abſtineret: quumque is non pareret, ipse in tribunal conſcendit, juſſoque pracone ut ſe citaret, juravit ſe numquam munus accepiſſe, neque porro accepturum, quoad viveret; mox legatum ſimiliter citari juſſit ad juſjurandum, qui quum pejerare nollet, Victorinus eum protinus provincia excedere coegit. Idem poſtea, quum Africa Proconſul eſſet, unum ex legatis ſimilem illius de quo mox diximus, non eodem quidem modo excepit, ſed navigio impoſito Romam remiſit.*

Nullum praenomen habet Aufidius Victorinus in his Inſcriptionibus. *Lucium* dictum fuiſſe ex vetuſtis membranis ſcripſit Caſaubonus in notis ad Capitol. in Vit. M. Antonin. Quidam *Cajum*, qui tamen cum hoc confundere videntur C. Aufidium Victorinum minorem ejus filium, qui anno poſt M. Aufidium Frontonem fratrem Conſul fuit cum Ti Claudio Severo, anno nempe U. C. CMLIII. ut habent Faſti Conſulares, & vetuſtae Inſcriptiones. Contra Panvinius & Noriſius *Marcum*, quod verius puto, deſcripto enim M. Aufidii Frontonis praenomine, reliqua omnia omittuntur idcirco, quod eadem eſſent, ut alias monuimus; V. not. XLIII. Porro M. Aufidius Victorinus Cornelii Frontonis Oratoris filiam, ipſo fortaſſe M. Antonino Aug. qui utrumque diligebat conciliatore, duxiſſe inde deprehenditur, quod ejuſdem nepos Aufidius Fronto, Cornelii Frontonis pronepos dicitur: hinc cum ea femina in Aufidiam gentem Frontonis cognomen tranſiſſe deprehendimus, nam T. illum Aufidium quem ex l. & non tantum 19. § 6. ff. de hered. petit. Conſulem ſuſſectum producit Panvinius A. U. DCCCLXXXII., de ſuo ingenio *Frontonem* laudatus Scriptor appellat, quum Ulpianus pure in ea lege T.

Aufi-